



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Jure Rerum Ecclesiasticarum Ad Germaniae Catholicae  
Principia Et Usum Pars ...**

Complectens Sectionem I. & II.

**Zech, Franz Xaver**

**Ingolstadii, 1758**

Titulus XIII. De Dispensationibus Circa Impedimenta Matrimonii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68048)

quidem violento : si enim puella blanditiis ac lenociniis seducta consentiat, & insciis vel invitis parentibus, Matrimonii contrahendi causa recedat, raptus non erit, qui annulet Matrimonium ex mente TRADENTINI : quamvis aliqui Galli hunc *subornationis*, five *seductionis* raptum, si contingat circa filios, vel filias familias minores in potestate patris constitutos, agnoscant tanquam impedimentum dirimens. (§. 300.) Porro quod decernitur de Rapto & Rapta, merito etiam intelligitur de rapiente femina & rapto viro, cum in correlativis quod statuitur de uno, statutum censeatur de altero, si eadem utrinque sit ratio 96.)

TITULUS XIII.  
DE DISPENSATIONIBUS CIRCA  
IMPEDIMENTA MATRIMONII.

§. 340.

*Dispensationem*

**D**ISPENSATIONES dicuntur vulnera legum, debentque esse moderata,

96.) TIRAQUELL. de Retraçtu ligna. §. 2. gloss. un. n. 4. seqq. HENRIQUEZ Theol. Moral. lib. 12. c. 14. n. 4. Contrarius SANCHEZ de Matrim. lib. 7. disp. 12. 24. seq. & disp. 13. n. 16.

*De Dispensationibus.* 455

rata, ne legum autoritas vilescat. Prudentia tamen suadet, eas nonnunquam fieri. Unde dispensatio definitur *Provida Juris Communis relaxatio*. Causæ dispensandi communiter recensentur I. Tempus. II. Utilitas. III. Qualitas personæ. IV. Religio. V. Scandalum multitudinis. VI. Necessitas. Si circa ullam rem aliam, certe circa Impedimenta Matrimonii difficiles se semper exhibuerunt Legislatores in concedendis dispensationibus. Quando Senatus Romanus inductus fuit ad CLAUDII Cæsaris nuptias cum AGRIPPINA, Germanici fratris sui filia, permittendas, Senatus-Consultum super ejusmodi Matrimoniis factum, etiam gentiles Romani nunquam admiserunt 97.). Tempore tyrannidis BASILISCI contra Leges priores permittebantur quædam Matrimonia: sed hujusmodi Rescripta viribus carere decrevit Imperator ANASTASIUS 98.).

F f 4

§. 341.

---

97.) SUETONIUS lib. 5. c. 26. CORNEL.  
TACITUS Annal. lib. 12. c. 5. seqq.

98.) L. fin. C. de incest nupt.

Circa im-  
pedimenta  
Matrimo-  
ni

§. 341. Cum ex vulgata doctrina illis competat facultas dispensandi qui legem tulerunt; Imperatores antiqui non dubitarunt permittere nuptias legibus civilibus vetitas. Sic Matrimonium inter tutorem vel filium ejus, & pupillam legibus prohibitum 99.), permiffum fupponitur Divino, id est, Imperatoris impetrato beneficio 100.). Christiani etiam Imperatores facultatem sibi fumpferunt dispensandi in Matrimonio confobrinorum, quæ primus videtur prohibuisse THEODOSIUS Senior, cujus filius HONORIUS in Occidente anno 409. vetabat, ne Rescriptum Principis impetretur pro contrahendo Matrimonio, exceptis his, quos confobrinorum, hoc est, quanti Gradus conjunctionem, Lex triumphalis memoria Patris nostri, exemplo iudiciorum supplicare non vetavit 1.)

fra.

99.) Tot. tit. C. de interdict. matrim. inter pupill. & tutor.

100.) L. penult. ibid.

1.) L. un. C. THEODOS. si nupt. ex rescripto petantur. Hæc tamen exceptio omittitur est in l. i. Cod. JUST. eod. tit. CASIODORUS lib. 7. variar. c. 46. tradit formulam dispensationis Regiæ in impedimento confobrinorum.

frater autem ejus ARCADIUS in Oriente, initio regiminis sui, exemplum patris secutus has nuptias pro illicitis habuerat anno 396. 2.). Mutato postea consilio anno 405. conjugium consobrinorum inter legitima habuit 3.).

§. 342. Male hæc exempla imitari voluerunt recentiores quidam Imperatores & Reges, postquam totum circa impedimenta Matrimonii negotium devolutum fuit ad Tribunal Ecclesiasticum, secuti pravam molitionem HERACLII Imperatoris, qui primus inter Christianos sui arbitrii esse existimavit, ducere neptem ex fratre, contemptis monitis Patriarchæ Constantinopolitani, & insequente vindicta Divina 4.). Certe Dispensatio LUDOVICI IV. Im-

*Concedit*

F f 5 pc-

- 2.) L. 3. Cod. THEOD. de incest. nupt.
- 3.) L. 19. Cod. JUST. de nuptiis. cui consonat §. 4. Inst. de Nuptiis. hac ratione dictas leges concordat GOTHOFREDUS ad cit. l. 3. Cod. THEOD. de incest. nupt. quamvis enim singulæ hæc leges, uti plurimæ aliæ post divisum Imperium, duorum Imperatorum nomina præferant, quædam tamen in solo Oriente, aliæ in solo Occidente promulgatæ fuerunt.
- 4.) NICEPHORUS in Breviar. Hist. ad ann. 619.

peratoris super impedimento Co-  
sanguinitatis inter LUDOVICUM  
filium suum, & MARGARETHAM  
Comitissam Tyroleos, consobrinam  
nullius est autoritatis, tum quod  
ipsa formula 5.) similior sit conce-  
tationi Theologi Schismatici, quam  
Diplomati Cæsareo: tum quod illud  
Matrimonium autoritate INNO-  
CENTII VI. Pontificis a PAULO  
Episcopo Frisingensi & PETRO Ab-  
bate S. Lamberti diremptum & im-  
tum declaratum, accedente autem  
dispensatione ejusdem Pontificis de-  
novo contractum, & revalidatum  
fuerit 6.).

§. 343.

- 5.) Formulam hanc exhibet Bzovius An-  
nal. Eccles. tom. 14. ad annum 1340. &  
GOLDASTUS Monarch. tom. 2. in tractu  
MARSILII DE PADUA de Jurisdic. Im-  
perat. &c. pag. 1385. LAUNOIUS tom. 1.  
part. 2. fol. 860.
- 6.) Vid. HÖRWARth in Ludovico dele-  
so part. 2. ad ann. Imp. XXVII. n. 3.  
seqq. Ipsas literas Pontificis, & Episcopi  
recitat P. CAROLUS METCHELBERGER  
Histor. Frisingens. tom. 2. part. 2. n. 2.  
similem fere dispensationem ab eodem  
noce

*De Dispensationibus.* 459

§. 343. Sicuti autem diximus *Ecclesia* :  
(§. 299.), potestatem constituendi  
impedimenta Matrimonii competere  
Ecclesiæ ex ordinatione Christi; ita  
etiam tenendum est, facultatem Di-  
spensandi penes eandem Ecclesiam  
semper fuisse & adhuc esse: neque  
Principes eam Ecclesiæ tribuisse sed  
hos solummodo cum reverentia ces-  
sasse ab exercenda sua potestate in  
causis Matrimonialibus. In legibus  
quidem Naturalibus & Divinis non  
dispensatur humana autoritate: cun-  
cta autem impedimenta, excepto  
gradu lineæ ascendenti, videntur  
legibus humanis introducta: nam  
leges Divinæ Levitici populo Israë-  
litico, non autem nobis censentur  
esse datæ: unde etiam iisdem tem-  
poribus alii populi extra Palæstinam  
non tenebantur illis legibus. Quoad  
Ecclesiasticos Prælatos hodie, cum  
expressum Canonem non habeamus,  
consuetudo reservavit soli Pontifici  
Romano potestatem Dispensandi in  
impedimentis dirimentibus. Cessat  
autem hæc reservatio pro foro con-  
scien-

---

NOCENTIO VI. concessam Principi Wal-  
liæ, & Comitissæ Cantix, legimus apud  
BOEHMER. Jur. Eccl. Prot. tom. 4. pag.  
185. ex THOMA RYMERO.

scientiæ, ob bonum commune Ec-  
clesiæ & animarum salutem, si Ma-  
trimonio publice, saltem bona fide  
unius contracto, impedimentum  
occultum, & conjuges absque scan-  
dalo separari non possint, nec pate-  
at facilis ad Pontificem accessus.  
Idem tenetur ante Matrimonium  
contractum, si periculum in mora  
& Matrimonium necessarium sit ad  
evitanda scandala. Duo extrema  
declinanda sunt, nimia Dispensandi  
facilitas absque legitima causa; &  
nimia severitas in coarctanda Episco-  
porum autoritate.

*olim valde raro :* §. 344. Romani Pontifices vix non  
inexorabiles se olim præbuerunt in  
concedendis Dispensationibus. Cen-  
sent aliqui 7.), primam in Ecclesia  
dispensationem Matrimoniam a  
NICOLAO II. factam cum GU-  
LIELMO Normandiæ Duce, & MA-  
THILDE Flandrensi, suadente S.  
LANFRANCO, circa annum 1058.  
8.). Sæpius antehac Matrimonia

7.) CHRISTIANUS LUPUS tom. 5. fol.  
110.

8.) Vid. Acta Sanctorum in vita S. Lan-  
franci 28. Maij. cap. 2. & notam HEN-  
SCHENII lit. a. fol. 836. seq.



*De Dispensationibus.* 461

Regum dirempta, cum nondum moribus receptum esset, ut Pontificum Romanorum venia, lege cognationis soluta, conjugia inter cognatos coirent 9.). Imo etiam post exemplum NICOLAI II. flecti ad Dispensationem Regibus concedendam non potuerunt CLEMENS III. COELESTINUS III. & INNOCENTIUS III. 10.), ita ut ipsi S. Ferdinando Castellæ Regi, ex ejusmodi dissolutis nuptiis nato consulendum fuerit Brevi Pontificio HONORII III. quo legitimus Regni successor fuit declaratus 11.): dictus tamen INNOCENTIUS III. ad tollendum Imperii schisma dispensavit cum OTTONE IV. Imperatore & filia Philippi Sueviæ Ducis sub duris conditionibus: Abbas insuper Morimundensis delictum, hoc conubio contra consuetudinem Ecclesiæ, quantumvis dispensatorie, committ-

---

9.) MARIANA de reb. Hispan. lib. 10. ad ann. 1110.

10.) Vid. ROGERIUS HOVEDENUS Annal. part. 2. ad ann. 1199. DANIEL PAPIBROCHIUS in actis Sanctorum Comment. præv. ad vitam S. FERDINANDI die 30. Maij. fol. 293.

11.) RAYNALDUS Annal. Eccl. tom. 13. ad ann. 1218. n. 65. seqq.

mittendum, monastico Ordini Cisterciensium & Cluniacensium auctoritate Apostolica imposuit, orationibus scilicet & pœnitentiis expiandum 12.). Unde etiam Episcopus quidam ausi sunt Matrimonium ANNIS Angliæ Regis cum filia Comitissæ Glocestriæ dissolvere, contra etiam permissione Romanæ Ecclesiæ 13.).

*Hodie ex causa rationabili,*

§. 345. Juxta Concilium TRIDENTINUM 14.) in contrahendis Matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro: idque ex causa gratis concedatur. In secundo Gradu quam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam. Si quis autem intra Gradus prohibitos sceleriter, vel etiam ignoranter neglectis solemnitatibus, Matrimonium contrahere, aut omnino consummare præsumpserit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat. Facilius autem & gratis dispensari potest cum eo, qui cum probato ignorante

- 12.) OTTO de S. Blasio continuator ARNONIS Frisingensis cap. 51. ARNONIUS Lubecens. Chronic. Slavor. lib. 7. c. 10.  
13.) CHRIST. LUPUS tom. 4. ad Concilium Rhemenf. sub LEONE IX.  
14.) Sess. 24. c. 5. de reform. Matr.

*De Dispensationibus.* 463

ignorantia impedimenti adhibitis solemnitatibus contraxisse deprehenditur.

§. 346. Ex hodierno stylo Curia<sup>in forma</sup> Romanæ dispensationes Matrimoniales conceduntur in forma *Commissoria*<sup>commissoria</sup>, qua dispensandi facultas alteri committitur autoritate Apostolica sub certis conditionibus, quæ ab executeore earum literarum diligentissime impleri debent. In publicis quidem impedimentis dispensatio pro utroque foro ex *Dataria* committitur Ordinario, quo nomine intelligitur etiam Vicarius Generalis, quem Romanæ Literæ nominant *Officialem*. Nunquam exprimitur nomen proprium Episcopi vel Vicarii, ut dispensandi facultas sciatur commissa dignitati & Officio, non autem personæ. Si Literæ inscribuntur Officiali Episcopi, non possunt executioni dari a Vicario Capituli, si interim Episcopus esset mortuus: si autem Sede Episcopali vacante petatur dispensatio, hæc committitur non Vicario Capituli, sed vicino Episcopo, aut ejus Vicario seu Officiali. Si Oratores sint diversæ Dioceseos,  
Lit-

Literæ mittuntur ad Ordinarios  
Oratricis 15.).

*Pœniten-  
tiaria di-  
spensat gra-  
tis :*

§. 347. Circa Impedimenta, quæ  
ex occulto delicto, vel ex voto  
riuntur, committitur Dispensatio  
ex *Pœnitentiaria* pro foro conscientie  
Confessario, Magistro in Theologia  
vel Decretorum Doctore ex appro-  
tis ab Ordinario, ab Oratore eligendo  
gendo 16.). Aperiendi has literæ  
& exequendi facultatem habent quæ-  
dam ex privilegio, etsi Magister in  
Theologia vel Doctoratus in Juris  
Canonico gradibus insigniti non sint  
17.). Solet autem Maior *Pœniten-  
tarius* dare facultatem Dispensandi  
in Voto simplici Castitatis, Religio-  
nis, non nubendi &c. in Affinitate  
ex copula illicita, etiam in prima  
Gradu

15.) De praxi harum dispensationum  
deatur PYRRHUS CORRADUS prax. di-  
spensat. apostol. lib. 7. & 8.

16.) De praxi *Pœnitentiariæ* vid. MAR-  
PAULUS LEO prax. ad Liter. Major. *Pœ-  
nitentiæ*.

17.) GREGORIUS XIII. anno 1582. hanc  
facultatem concessit Presbyteris Societatis  
Jesu per superiores suos designatis  
ab Ordinario loci approbatis, per Breve  
quod incipit : *Exponi nobis.*



vel omnino remittitur, si Vicarius Generalis Episcopi attestetur de paupertate, præsertim si accedat periculum infamiæ, aut præcesserit compula carnalis: pauperes autem censentur, qui non habent stabiles redditus, aut census ex bonis propriis. Tales sunt omnes, qui labore manuum victum quærunt, aut ex salario Principis vivunt.

Quando dispenset Episcopus,

§. 349. Summus Pontifex inter facultates, Germaniæ Episcopis ad quinquennium concedi solitas, concedit quoque facultatem pro foro etiam externo in Civitate & Diocesi sua tantum, gratis dispensandi in tertio & quarto gradu simplici & mixto 18.), tantum cum pauperibus in contrahendis: in contractis vero cum hæreticis conversis etiam in secundo simplici & mixto, dummodo

18.) Per *mixtum* intelligitur gradus mixtus cum tertio, nequaquam gradus tertius mixtus cum secundo: unde quando dispensatio petitur, uterque gradus debet exprimi; & in gradibus mixtis concipitur formula dispensationis in verbis, quibus dispensatur in proximioribus, & declaratur, non obstare remotioribus.

*De Dispensationibus.* 467

modo nullo modo attingat primum gradum; & in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam: item dispensandi super Impedimento publicæ honestatis Justitiæ ex Sponsalibus proveniente: item super Impedimento Criminis, neutro tamen conjugè machinante; ac restituendi jus amissum petendi debitum: item dispensandi in Impedimentis Cognationis Spiritualis præter levantem & levatum: addendo his dispensationibus præter alias clausulas etiam hanc, dummodo rapta mulier non fuerit; & si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat.

§. 350. Capitulum Sede vacante, *Vel Capitulum?* seu potius ejus Vicarius pro foro conscientiæ potest dispensare in illis circumstantiis, in quibus pro eodem foro Episcopum posse dispensare diximus (§. 343.). In facultatibus supra positis (§. 349.) per se quidem Capitulum non succedit: nihilominus notanda inter eas est facultas *Communicandi has facultates in totum, vel in parte, prout opus esse secundum ejus conscientiam judicaverit, Sacerdotibus idoneis in conversione animarum laborantibus, & præsertim tempore sui obitus, ut sede vacante sit, qui possit supplere,*

Gg 2

plere,

plere, donec Sedes Apostolica certior facta alio modo provideat. Consultum igitur est, ut Episcopus ante obitum suum uni vel pluribus has facultates communicet, qui delegati de obitu Episcopi Sedem Apostolicam certiores reddere, & novam provisionem pro tempore Sedis vacantis petere deberent.

*Causæ,*

§. 351. Causæ dispensandi attenduntur sequentes. I. Copula carnalis præcedens & propalata. II. Infamia mulieris ob suspectam conversationem cum Oratore agnato. III. Matrimonium cum ignorantia Impedimenti bona fide in facie Ecclesiæ contractum. IV. Angustia loci. V. Incompetentia, vel defectus dotis. VI. Extinctio litis. VII. Assistentia in lite super successione bonorum. VIII. Ætas Oratricis vigesimum quartum annum excedens. IX. Habitatio ad litus maris, vel inter hereticos. X. Compositio inimicitarum. XI. Confirmatio Pacis. XII. Multitudo Filiorum Oratricis viduæ. XIII. Spes conversionis ad Religionem Catholicam. XIV. Conservatio familiæ, vel bonorum in familia. XV. Excellentia meritorum. XVI. Prærogativa Dignitatis. XVII. Ex



*De Dispensationibus.* 469

Ex certis rationabilibus causis. Pœnitentiaria dispensat plerumque ad evitanda peccata, & scandala.

§. 352. Pro executione Dispensationis, verificandæ sunt causæ in Literis Pontificiis expressæ, cum

Pontifex aliter concedere nolit dispensandi facultatem. Verificandæ item sunt clausulæ adjici solitæ, præsertim illa: *Et oratori vitæ periculum immineret*, quæ solet addi, quando femina infamiam contraxisse dicitur ob suspectam familiaritatem cum Consanguineo. Quidquid enim dicant recentiores quidam Autores, qui rationem & sensum hujus clausulæ non satis penetrare videntur, executores tamen striçte illi inhærere debent 19.). Imminere autem periculum vitæ potest ejusmodi viro a parentibus vel fratribus feminae, in vindictam, quod filiam vel sororem suam ab aliis honestis nuptiis familiaritate sua impediverit. Hæc autem clausula raro verificatur in Germania: consequenter raro executioni dari poterit ejusmodi Dispensatio.

G g 3

Co-

19.) Vid. BENEDICTUS XIV. Bullar. tom. I. Const. 45. §. 2.

*Scriptores.* Copiose de hac materia scribunt  
 PYRRHUS CORRADUS in Praxi Dispensationum Apostolicarum.  
 MARCUS PAULUS LEO de Praxi Pœnitentiariæ. THOMAS SANCHEZ de Matrim. Lib. 8.  
 VAN ESPEN Jur. Eccl. univ. p. 2. Tit. 13. & 14.  
 REIFFENSTUEL Append. ad Lib. IV. Decretal.

TITULUS XIV,  
 DE BONIS MATRIMONII & OFFICIIS CONJUGUM.

*Conf. Decretal. lib. 4. tit. 10. 17. 20. item Lib. 3. tit. 33.*

§. 353.

*Tria Bona Matrimonii.* PROPRIETATES seu Bona propria Matrimonii dicuntur tria, scilicet *Proles* & *Sacramentum*: quæ ita respici debent, ut Matrimonium sit nullum ac irritum, cui adjicitur *conditio*, seu potius *modus*, his tribus bonis, & consequenter *substantia* Matrimonii repugnans 20.).

§. 354.

20.) C. ult. de Condit. appof.